

OB

CLEMENTISSIME COLLATAM

A SACRA REGIA MAIESTATE

EMINENTEM DIGNITATEM

VIRO

PERILLVSTRI MAGNIFICO MAXI-  
MEQVE STRENVO DOMINO

DOMINO

IOANNI

IACOBO

MOELLERO

PRAECONSVLI GRAVISSIMO PRAESIDIS  
OFFICIO

IAM FELICITER DEFVNCTO

NVNC PRIMVM

BVRGGRAVIO REGIO

MAECENATI LONGE BENIGNISSIMO

GRATVLAVNDA AC SVMMISSISSIMA MENTE

APPLAVDIT

ATHENAEVM ELBINGENSE

ACCINENTE

CVLTORE DEDITISSIMO

IOANNE DANIELE HOFFMANNO

CONRECTORE ET PROFESSORE.

A. R. S. MDCCLX. D. XVII. MARTII.

ELBINGAE

LITTERIS. NOHRMANNIANIS.





**A**ufugit terris pax non reuocabilis : arua  
Sanguinis imbre madent.

Pax lento reditura gradu finit esse subactos

Mole graui populos  
Feralis belli, tristesque gemiscere ciues,

Colla premente iugo.

Non ludit viridi lasciua iuuenula campo,

Cornipedumque greges,

A turma velitum longe lateque fugati;

Pax vt abacta procul.

Aera non replet cantu cassita sonoro,

Nidificans in agris.

Omnia, terrifico glandis perculsa fragore,

Compita defugiunt.

Hic assueta iocis multum ludisque iuuentus,

Iam pauefacta filet.

Illic delicias pertaesi, fercula vitant,

Dulcia corporibus

Mollitie distentis; quos nec amoena vireta,

Nec nemus exhilarant,

Frondebis obteetum : pridem solatia, nunc vix

Tuta sedes miseris.

Immensis inhians opibus lucrosa cupido

Mox eget orba bonis.

Non largo renitent auro argentoque tabernae:

Et mare diuitias,

Fraeta naue, ferens absorbet; decipit & spes

Mentem, auida validus

Praedo manu, vel vasto classica in aequore bella

Cum omnia diripiunt.



Vos, dolet, instabiles Musas errare sub armis,

Quaeis volupè alta quies.

Non bene conueniunt mansuetis horrida facta

Morigerisque viris.

Vos seruare fidem, vos iusta tenere docetis,

Quae fugit ausa cohors.

Artificem taedet pulchellas fingere formas;

Quod sua quemque manus

Pace virente fouet: non profert artis hebescens

Ingenium specimen.

Vel quae docta manus posuit monumenta, furente

Marte, reuulsa ruunt.

Mœnia, xyta, domus, numerosa palatia vici,

Splendidiore suo

Cultu nudantur, flamma vastata rapaci.

Quin sibi, ni sapiat,

Indulget miles pugnax, & acinace stricto,

Dira minatur atrox.

Sic nihil est bello funestius; integra nunquam

Publica nostra salus.

O si pax redeat multis gratissima terris,

Commoda magna ferens!

Quam valde ante annos centum Polonia plausit,

Cum redimita comas

Pax olea effulsit, manibus ramumque ferebat.

Prussia tripudiat.

Quem quadrupes foedat campum; mox pinguis arista

Fertiliore solo

Foecundat: ruri iucundam ducere vitam

Et Galatea cupit.

Agri flauescunt, securo alimenta parantes

Ac hilari agricolae.



Incumbens operis opifex limatque politque,  
Vt pretium faciat,  
Artis & alliciat cupidos: commercia florent:  
Nectare terra fluit.  
Tecta superba nouo penitus splendore refulgent:  
Surgit eburna domus.  
Artibus & placidis licet inuigilare Camoënis:  
Iam reuocata Themis  
E coelo stabilit firmatque cadentia iura,  
Datque cuique suum.  
Haec isto fuerant ingentia commoda pacis  
Tempore: nec deerunt,  
Si, qua nunc fruimur, pax in concussa manebit.  
Hoc opus esse DEI,  
Hanc cura AVGVSTI REGIS florere videmus.  
Nec reticere licet,  
Quam T V A profuerit fessis prudentia rebus  
PRAESIDIS officio  
Illustris, summo, PRAECONSVL, munere iam iam  
Fulgide BVRGGRAVII.  
Rebus in adflictis sedata auertere mente  
Exoritura mala,  
Infracti est animi: celerique iuuare gementes  
Consilio miseros,  
Est, tangi simili moestoque in corde dolore.  
Haec T V A laus propria:  
Hoc T V V S ardor erit, tutam seruare salutem,  
Qua T I B I nil potius.  
Quantum, T E saluo, res publica tempore longo  
Est habitura boni!

